

omnis scientiæ politicæ scaturiginem, vi-
dentur (ut vere loqvar) aquam de fonte
valde turbido nobis propinare. Sed ut
his finem imponamus, aliud videamus no-
tatu dignissimum, quod huic studio accidit.

CAP. XIV.

Demiris in libros Justiniani glossis
& commentariis.

CUM magni isti quatuor Doctores &
consiliarii Imperatoris Friderici glos-
sas quasdam, & minutus remissiones in li-
bros Justiniani reliquissent, sic eos æmula-
ti sunt successores, ut intra trecentos annos
plures tractatus, disputationes, commen-
tarii, consilia, decisiones, observationes,
annotationes, repetitiones, singularitates,
apostillæ, & alii variorum generum libelli
prodierint, quam ante Justinianum mille
& quadringentorum annorum spatio. Ni-
mirum volebat unusquisque Doctorum
hoc pasto innotescere, & publice celebrari,
ut postea à Principibus evocaretur, aut in
legum Universitates accerferetur, aut pin-
gvi stipendio ad scribendum consilia, in-
structiones & monitiones ad instruendas
ites conduceretur. Supervenit aliud in-
spera-